

1276, setembre, 27

*Guillem Esteve de Madremanya i la seva esposa Guillema venen a Ramon Carbonell del Vilar i a la seva esposa Raimunda una feixa que tenen per Guillem d'Aquiló pel preu de l O sous.*

ASD núm. 236, perg. orig., 160 x 230 mm.

Sit notum cunctis quod nos Guilielmus Stephani de Matremagna et Guilielma eius uxor, simul per nos et omnes nostros presentes atque futuros, gratis et ex certa sciencia uendimus et in presenti liberando tradimus tibi Raimundo Carbonelli de Uillario et Raimunde uxori tue de eodem loco et tuis perpetuo quandam feixiam terre quam habemus et tenemus in eadem parrochia, loco uocato Uilar, que fexia est de feudo quod tenemus pro Guilielmo de Aquilone, et affrontat ah oriente in carraria, a meridie in honore uestro, ah accidente in alia carraria que mouet de Matremagna et tendit uersus Riuum Sicum, a circio in honore Petri de Puteo, quam quidem uendicionem uobis et uestris facimus cum exitibus et ingressibus suis, proprietatibus et integritatibus et pertinentiis suis et cum omnibus melioramentis et augmentis ibidem factis et faciendis ad omnes uestras uestrorumque uoluntates perpetuo faciendas precio decem solidorum barchinonensium de temo, quos a uobis numerando in solidum manu ad manum confitemur recepisse, excepcioni non numerate peccunie siue non recepti precii renunciando. Et si amplius ualet pretio antedicto, totum illud plus uobis damus et remitimus, renunciantes illi legi qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subuenitur. Et cum hoc publico instrumento in corporalem iuris et facti huius rei possessionem uos inducimus, dantes et cedentes uobis et uestris ibi et inde uobis et uestris(sic) omnes uoces, iura et rationes ac omnes acciones reales et personales nobis ibi competentes uel modo aliquo competituras, promittentes quoque bona fidè predictam uendicionem semper uobis et uestris bonam facere habere, tenere atque possidere quiete et in bona pace contra cunctas personas, saluo tamen iure nostra et nostrorum et dominio in terciis, laudismiis et foriscapiis. Preterea prestabitis inde nobis et nostris pro turnis et adiutorio ad census quos quolibet anno facimus Guilielmo de Aquilone unum denarium barchinonensem de temo quolibet anno in festo sancti Michaelis et nulla alia agraria prestabitis tnde uos uel uestri. Et si aliqua persona priuata uel extranea aliquid in dicta fexia uobis uel uestris tetigerit, emparauerit uel contradixerit ah omni persona: de firma ac legali euiccione semper uobis et uestris teneri promittimus, obligando uobis et uestris propter hec attendenda et complenda omnia bona nostra presencia et futura ubique, quilibet nostrum pro toto, renunciantes in solidum beneficio diuidende actionis et noue constitutionis et omni excepcioni doli et condicioni indebiti; et ego dicta Guilielma, de iure meo certificata, renuncio beneficio Uelleyani senatusconsulti et iuri ipothecae quam ratione dotis et donacionis propter nuptias habeo in bonis uiri mei predicti, et hec omnia predicta iuro ego dicta Guilielma in Deum et super eius sancta .un.or Euangelia atendere et fideliter obseruare.

Actum est hoc .v. kalendas octobris anno Domini .MCCLXXVI.

Sig+num predicti Guilielmi Stephani, sig+num Guilielme uxoris eius, qui hoc firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt Raimundus clericus de Terrubia, Ferrarius de Pradella, Berengarius Merchader de Miliariis.

Guilielmus Bemardi de Palacioraphano et publicus notarius de Rupiano, qui hoc scripsi curri litteris suprascriptis in .VII. linea, ubi dicitur "ualet" (s. man.).

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 487-489